

www.e-rara.ch

**Colloquium de cultu Asini ab ethnicis temere et impudenter Iudaeis
et primis Christianis obiectato**

**Mechel, Johann Conrad von
Basileae, [1741?]**

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: UBH Diss 379:42

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-88110>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

42.
COLLOQUIUM
DE
CULTU ASINI

AB
ETHNICIS TEMERE ET IMPUDENTER
JUDÆIS ET PRIMIS CHRISTIANIS
OBJECTATO

IN
PROMOTIONE VERA
DISCIPULORUM GYMNASII BASILEENSIS
HABITUM

à

- A.* JOH. CONRADO à MECHEL.
B. EMANUELE MERIAN.
C. FRIDERICO MUNCH.
D. BERNHARDO SARASIN.
E. BENEDICTO à MECHEL.
F. JOSEPHO SOCIN.

d. 4ta. Aprilis M D C C X L L

B A S I L E A E,

~~~~~  
TYPIS VIDUÆ CONRADI à MECHEL.



COLLEGIUM  
DE  
CULTU ASIATICI

INSTITUTIONE  
INSTITUTIO  
INSTITUTIONE

PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA

PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA

PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA  
PROVINCIA



A.

Sinos contempta & despecta esse animalia, nomenque asini per convicium stupidis atque inertibus tribui, ecquis nescit?

- B. Τίς δὲ χάρις κἀνθῶνι φέρειν χρυσοῖο τάλαντα;  
κἀνθῶν καὶ πολύχρυσος ἑὼν ὀγκηθμὸν αἰεῖδει.
- C. Vertite, quaeso, istud distichon ex Græco in Latinum sermonem.
- D. Nil asino prodest auri gestare talenta,  
Quantumvis gravis ære nihil nisi rudit asellus.
- E. Mihi quoque lubet hanc in rem Græcum quoddam distichon afferre.
- F. Audiemus illud.
- E. Πῶς σὺ κἀκίςτος ἑὼν, τόσον φρονέεις προγόνοισιν,  
ὧ κἀνθῶν μυλικὴ, ἵππιον ὕψος ἔχων.
- F. Atque ego idem Latine reddam:  
*Cur caput instar equi, molitor, sustollis, aselle,  
Propter avos, cum sis improbus ipse, tumes.*
- A. Proinde Ethnici existimarunt, summam ignominiam ac turpitudinem Judæis se inflicturos esse, si ipsis exprobrarent, Asinum vel Asini caput ab iis pro DEO coli.
- B. Audiui, Apionem Grammaticum quendam Ægyptium, hominem valde loquacem ac vanum, eo impudentiæ primum processisse, ut Judæos tam atrocibus mendaciis oneraret.

Lib. 2.  
c. Ap.

C. Id declarat Josephus celebris Historicus: Ausus est, inquit, Apion dicere, in hoc ( sc. templi Hierosolymitani ) sacratio asini caput collocasse Judæos idque coluisse, & singulari religione dignatos fuisse.

D. Hunc dein & alii sunt secuti, quin, ut fit, alias insuper addiderunt fabulas.

E. Damocritum quendam Historicum de Judæis idem affirmasse legimus, imo alias insuper narrasse fabulas, non minus ridiculas quam falsas.

F. Aureum, inquit iste, asini caput adorabant, & tertio quoque anno captum peregrinum ei offerebant, & carnes minutatim dissecantes sic interficiebant.

A. Apage has nugas ac febricitantis Somnia!

B. Imo, quod miraberis, quidam ex Ethnicis haud vulgaribus Scriptoribus nefarii istius cultus causam ac rationem reddere conantur.

C. Plutarchus celebris Auctor de Judæis ait:

Symp. l. 4.  
quæst. 5.

Τὸν ὄνον δὲ ἀναφύοντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμᾶσι.

D. Hanc fabulam multo prolixius narrat Tacitus Historicus & Orator Clarissimus Historiarum libro quinto.

c. 1.

E. Nihil æque ( Judæos in deserto ) inquit, quam inopia aquæ fatigabat, jamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex Asinorum agrestium è pastu in rupem nemore opacam concessit, secutus Moses conjectura herbidi foli largas aquarum venas aperit.

F. Mox idem subjungit: Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrati sacravere.

A. Et cui incognitum est Martialis epigramma de Theodoro Judæo:

*Ecce! negas, jurasque mihi per templa Tonantis,*

*Non credo; jura, verpe, per Ancharium.*

B. Absurdissimam ac maxime impiam istam calumniam de capite Asinino à Judæis culto fuisse, nemo inficias ibit, qui vel mediocriter cultus Judæorum religiosos novit.

C. Recte judicas; ipsi profecto veteres Ethnici, & fide dignissimi Scriptores referunt, Templum Hierosolymitanum ab Antiocho Epiphane expilatum, alios quoque

in

in adyta illius penetrasse , nihil vero tale invenisse ,  
evidenter declarant.

- D.** Luculenter id ostendit Josephus contra Apionem validissimisque argumentis demonstrat , mendacium esse malitiose excogitatum. l. c.
- E.** Tacitus eo , quem modo allegasti , libro ait : Romanorum primus ( Judæos ) Cn. Pompejus domuit , Templumque jure victoriæ ingressus est ; inde vulgatum , nulla intus Deum effigie vacuam sedem & inania arcana. c. 2.
- F.** Idem haud multo ante dixerat : Judæi mente sola , unumque Numen intelligunt ; profanos , qui Deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant.
- A.** Summum illud & æternum , neque mutabile neque interiturum ; igitur , inquit , nulla simulacra urbibus suis , nedum templis sunt ; Non Regibus hæc adulatio , non Cæsaribus honor. c. 1.
- B.** Eam ob rem Juvenalis Satyra decima quarta de Judæis cecinit :
- Nil præter Nubes & Cæli Numen adorant.*
- C.** Nimirum , quia Judæi precantes faciem versus Coelum elevabant , hinc orta est opinio , eos Nubes adorare.
- D.** Ecquis in Sacra Scriptura adeo hospes , adeo rudis est , ut eum fugiat , Deum Judæis omnes Imágenes , omnia Simulacra feverissime interdixisse.
- E.** Imo asino stultiorem ac stupidiorem eum existere oportet , qui credat , eos in ipsis templi adytis caput asini habuisse & consecrasse , animalis , inquam , ex lege immundi & cætera vilissimi & contemptissimi.
- F.** Sed unde , quæso vos , originem traxit tam impudens ac putidum commentum ?
- A.** Longum esset , omnium sententias super hac re examinare atque excutere.
- B.** Illorum sententia mihi cum primis probatur , qui affirmant , illud Originem suam debere Templo , quod Onias in Regione Heliopolitana pro Judæis Ægyptiacis condidit.
- C.** Quæ id fieri potuit ?

**D.** Id

- D.** Id tibi declarabo : Judæi illud Templum frequentantes , cum interrogarentur ab Ægyptiis obviis , quo tenderent , responderunt : εἰς τὴν ὄνιν , in Oniæ sc. Templum , sed illi , ut erant in arte cavillandi præ cæteris periti , excipiebant , εἰς τὴν ὄνιν , in asini.
- E.** Atque quod rem istam haud parum confirmat , impii istius mendacii architectus erat Alexandrinus.
- F.** Memini , me legisse , Onolatriciam olim Christianis , ut probrum , ab Ethnicis esse objectam.
- A.** Probe meministi ; Cæcilius profecto Ethnicus in Octavio Minucii , audio , inquit , Christianos turpissimæ pecudis Caput asini consecratum , nescio qua persuasione , venerari.
- B.** Tertullianus antiquus Ecclesiæ Doctor mentionem facit picturæ in contumeliam Christianorum à nefario quodam gladiatore factæ cum ista inscriptione : Deus Christianorum Ononychites , vel ut alii legunt , Onochoerites.
- C.** Nequam ille atque improbus homo monstrum , quo Christianam pietatem deridendam propinavit , vocavit vel ἀπὸ τῆς ὄνιν & ὄνυχος ab asino & ungue , vel ἀπὸ τῆς ὄνιν & χοίρος , ab asino & porco.
- D.** Hoc posterius convicium nomen sortitum esse mihi videtur à Judæis , qui Suibus non vescebantur.
- E.** Sic est.
- F.** Crediderunt enim Ethnicis , Judæos animalia , quæ non ederunt , pro Diis habere , sicuti Ægyptiorum mos fuit.
- A.** Verum enimvero , ut ad illam impiam revertar picturam , Ea , quemadmodum ipse memorat Tertullianus , repræsentabat animal auribus asininis , altero pede ungulatum , Librum gestans & togam.
- B.** En documentum impudentissimi nebulonis , qui ineptis suis facetiis sanctissimæ Christianæ Religioni illudere ausus est , sed eas narrasse est refutasse.
- C.** Scimus , Ethnicos tales portentosos coluisse Deos , coluerunt Latratorem Anubin caninum caput humano corpori

Apol.  
c. 16.

pori impositum gerens, Hecaten triformem, feles,  
Crocodilos, & alia ejuscemodi portenta.

- D. Demiror, aliquid tale Christianis esse objectatum, cum  
in omni eorum cultu divino nihil reperiatur, quod  
vel minimam ejus rei possit movere suspicionem.

E. Male facere qui vult, nusquam non causam invenit.

- F. Quoniam primi Christiani majore ex parte à Judæis oriundi  
multa cum istis communia in Religione adhuc habebant,  
etiam calumniæ in Judæos excogitatæ, Christianis  
impositæ sunt à communibus adversariis.

- A. Dicis, quod res est, nam eo sine dubio est factum,  
ut inter alias calumnias cultus quoque capitis afini  
ni per contumeliam primis Christianis objectus sit.

- B. Suetonium Christianos cum Judæis confudisse, legimus; di-  
cit enim de Imperatore Claudio, illum Judæos impulsore  
Chresto assidue tumultuantes Roma expulisse.

in Cl.  
c. 25.

- C. Rutilius conqueritur in Itinerario, quod cum Judæi à Ro-  
manis internecone fere sint deleti, Religio tamen Ju-  
daica totum orbem occuparit; hoc necessario intelli-  
gendum est de Christiana Religione, nam ejus tem-  
pore Judaica ad incitas fuit redacta.

- D. En ejus versus:

*Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset!*

*Pompeji bellis, imperioque Titi.*

*Latius excisa Gentis contagia serpunt,*

*Victoresque suos Natio victa premit.*

- E. Imo Christiana Religio semel atque iterum superstitione Ju-  
daica a Scriptoribus Ethnicis est nuncupata.

- F. Cultus capitis afini forsan Christianis est exprobratus,  
quoniam Gnostici impie asserere non erubuerunt,  
Deum aliquid habere ex forma afini.

- A. Ex Historia Ecclesiastica cognoscimus, Gentibus solemne  
fuisse, horum & similium hæreticorum nomen Chri-  
stianum inique usurpantium flagitia veris Christianis  
imputare.

- B. Sic de primis Christianis impudentissime affirmarunt, illos  
habere Thyestæas Dapes & humanarum carni-  
um Edulia, illos committere incestus Oedipeos.

C. In-

- C. Infimulabant eos *ἀθεόγητος* , quia scilicet Deos fictitios sunt abominati , vocabant crucicolas , hostes humani generis.
- D. Hæc & piis Reformatoribus nostris accidisse , ecquis nescit ?
- E. Solent nimirum Veritatis hostes impudentibus ac subdolis mendaciis eos odiosos reddere , quos solidis argumentis vincere nequeunt.
- F. Calumniatores teterrima animalia ac pessimum esse hominum genus , mecum fatebimini omnes.
- A. Verum dicis ; sed si qua Calumnia est abominanda , profecto ea est , cum impii obtrectatores ad alios conviciis proscindendos , famamque eorum lædendam Religione utuntur , vel potius abutuntur.
- B. Durius forsitan , sed non sine causa ille apud Comicum de istis locutus est , qui omnem laudem in aliis vituperandis atque procacibus dictis infamandis positam putant.
- C. *Homines* , inquiebat , *qui gestant* , *quique auscultant crimina* ;  
*Si meo arbitrato liceat* , omnes pendeant ,  
*Gestores linguis* , *Auditores auribus* .

D I X I M U S .

---

Typos disposuit primus Colloquentium.

